




PAVO ET TESTUDO

LECTIO SIMPLICISSIMA



Pāvōnēs pulchrae sunt avēs, quae bene saltāre possunt. Testūdō est parva bēstia quae testam in tergō fert et lentē ambulat. Testūdō pāvōnem, quī nōn procul ā lacū habitat, in herbā saltāre videt; nam testūdō quoque in illō lacū habitat. Itaque, «Salve,» dīcit, «pāvō optimē: multum cupiō tēcum in herbā saltāre!» Sed pāvō respondet, «Certē nōn bene saltās, ō testūdō: nam brevia sunt crūra tua. Quōmodo ergō saltāre potes? Et testūdō quae in pedibus posteriōribus stat rēs est ridicula!» Respondet testūdō: «Superbus es, ō pāvō, quia pennās pulchrās variōrum cōlōrum habēs. Sed vidēs? Mea quoque testa pulchrīs colōribus ōrnātur. Nec vērō mē dērīdēre decet, quia lentē ambulō: nam nōn sum tam vėlōx quam tū, sed nōnne bonum est lentē ambulāre?» Pāvō haec verba audit, et timet. Nam putat testūdinem trīstem esse quia is eam rīdet. Dīcit ergō, «Exī, testūdō, mēcum saltā: nam tē beātam fēlicemque esse cupiō.» Exit itaque illa, sed cum saltāre incipit, ecce vēnātor advenit (vēnātor est homō quī bēstiās rētibus capit et ēst). Itaque pāvō, quī vēnātōrem advenīre videt, ālās aperit et in altam arborem volat; testūdō vērō, quae īfirmīs pedibus lentē ad lacum currit, ā vēnātōre capitur. Hoc fābula nōs docet: dēbēmus omnēs laetī in eō locō manēre, quem nātūra nōbīs dat.

PENSA POST LECTIONEM SIMPLICISSIMAM

PENSUM A:

Respondē Latīnē hīs rogātīs.

- 1) Quid est testūdō?
- 2) Ubi habitat pāvō?
- 3) Cūr pāvō testūdinem rīdet?
- 4) Cūr testūdō ā vēnātōre capitur?
- 5) Quid nōs haec fābula docet?

PENSUM B:

Mūtā hās sententiās in numerum plūrālem.

(Exemplum: Vēnātor advenit. → Vēnātōrēs adveniunt).

- 1) Pāvō pulchra est avis, quae bene saltāre potest. →
- 2) Testūdō est parva bēstia quae testam in tergō fert. →
- 3) Testūdō lentē ambulat. →
- 4) Pāvō vēnātōrem advenīre videt. →
- 5) Testūdō ā vēnātōre capitur. →